

TIBVLLIANA

I.

Alcesimarcho Plautino quod ruri a patre detineatur atque interea ab amica absit dolenti (Cist. 203 sqq. 225 sqq.) desiderio amoris compar apud Terentium Phaedria adulescens rus, ubi biduum ab amasia in urbe relicta procul moraturum se esse promiserat, profectus quidem sed promisso neglecto mox reversus, quid interim cum animo suo reputaverit, in medium profert:

occepi mecum cogitare 'hem, biduom hic
manendumst soli sine illa? quid tum postea?
nil est. quid? nil? si non tangendi copias,
eho ne videndi quidem erit? si illud non licet,
saltem hoc licebit. certe extrema linea
amare¹ haud nil est'

(Eun. 636 sqq.). Notabilis est consensus Tibulli² in aspectum Nemesis rus abductae suspirantis:

nunc si clausa mea est, si copia rara videndi³,
heu miserum, laxam quid iuvat esse togam?⁴

(II 3, 77 sq.). Ac vide modo, ut cum Tibullo exordiente (1 sqq.) Philostratus epistolographus poesis amatoriae Alexandrinorum peritissimus amicam alloquens rus abituram concinat, ut ex eodem simillimove fonte sua uterque hausisse arguatur: τί οὖν

¹ Id est μέχρι τῶν ἐμμάτων ἔχειν τὴν ἐρωμένην (Ach. Tat. V 22, 5). Cf. Tibulli carm. ex rec. Huschkii I p. 336. Qui vidit puellam, primum gradum scalae voluptatis amatoriae ascendit; qui tetigit, alterum gradum superavit. Cf. Mus. Rh. 1902 p. 74.

² Ed. Hiller. Lips. 1885.

³ Cf. v. 5 (o ego, cum aspicerem dominam).

⁴ Laxa toga eius est, qui dominae placere vult. Cf. I 6, 40.

μέλλω ποιεῖν, ἔαν ἐξελάσῃς ἐς ἀγρόν, ὡς πέρυσι, καὶ πολλῶν ἡμερῶν τὰς ἐν ἄστει διατριβὰς καταλίπῃς; ἡγοῦμαι ἀναγκαῖον σαφῶς ἀπολωλέναι μηδὲν ἔχοντα ἢ δὴ μήτε ἀκούειν μήτε ὄραν. ἐγὼ μὲν γὰρ ἔμπεσθαί σοι νομίζω τὴν πόλιν ἐξιούση καὶ αὐτοὺς τοὺς ἐν ἄστει θεοὺς ἐλκομένους ὑπὸ τῆς θέας. τί γὰρ ἐνταῦθα μόνοι ποιοῦσιν; εἰ δὲ κάκεινοι κατὰ χώραν μενοῦσιν, ἀλλ' ἔγωγε οὐκ ἀπολειφθήσομαι τοῦ Ἔρωτος ἐφόλκιον· εἰ δὲ καὶ σκάπτειν δέοι, λήψομαι τὴν δίκηλλαν, εἴτε κλᾶν, θεραπεύσω τὰς ἀμπέλους, εἴτε ἐπάγειν λαχάνους ὕδωρ, ὄδοποιήσω τὸν δρόμον (Ep. 59 H.). Puella in agris degens, dei eodem migrantes, inter quos Venus et Amor eminent, quem Moschus epigrammate festivo (A. P. XVI 200) arantem fecit (cf. Tib. v. 4), amator neque in urbe remansurus et ad omnes rusticos labores quamvis graves subeundos dum dominam aspiciere possit paratus, omnia denique Philostratea apud Tibullum¹ occurrunt. Perpendenti igitur, quot res argumentaque poetae elegiaci Latini ab elegiographis aevi Alexandrini vestigiis novae quae fertur comediae ingressis abstulerint², veri mihi simillimum videtur et hunc de amantium discidio altera parte rusticante locum (cf. Sulp. IV 8. Prop. II 19³), quem Plautus et Terentius ab ipsis comicis Graecis sumpserunt, in elegias Romanorum per Alexandrinos ex fabulis Graecorum devenisse.

Deinde (v. 11—32) Tibullus amoris servus illo solacio se consolatur, quod ne Apollo quidem Amoris vincula detrectaverit. Alexandrinorum pedisequum produnt huiusce epigrammatis poeta nobis ignotus:

Εἷ μοί τις μέμφοιτο, δαεῖς ὅτι λάτρις Ἔρωτος
φοιτῶ, θηρευτὴν ὄμμασιν ἰξὸν ἔχων,
εἰδείῃ καὶ Ζῆνα καὶ Ἄϊδα τόν τε θαλάσσης
σκηπτοῦχον μαλερῶν δούλον ἐόντα πόθων.
εἰ δὲ θεοὶ τοιοῖδε, θεοῖς δ' ἐνέπουσιν ἐπεσθαί
ἀνθρώποις, τί θεῶν ἔργα μαθῶν ἀδικῶ;

(A. P. V 100) et Achilles Tatii, seriniorum illorum expilatoris, Clitophon item semet amantem sibi purgans: ἰδοῦ, καὶ Ἀπόλλων ἐρᾷ, κάκεινος παρθένου (sc. Δάφνης), καὶ ἐρῶν οὐκ αἰσχύνεται,

¹ Qui sextum versum pannis Lucretii (V 208) et Vergilii (Georg. I 64) consult.

² V. Hoelzer: De poesi amatoria a comicis Atticis exculpta, ab elegiacis imitatione expressa. Pars prior. Marp. Catt. 1899.

³ Ed. Rothst.

ἀλλὰ διώκει τὴν παρθένον· σὺ δὲ ὀκνεῖς καὶ αἰδῆ καὶ ἀκαίρως
σωφρονεῖς; μὴ κρείττων εἶ τοῦ θεοῦ (I 5, 7)¹; Eum vero
quem Tibullus substituit Apollinem, Admeti amatorem, ad quem
Phaedrae Annaeanae chorus, ut explicet quantum 'diva non
miti generata ponto'² et Cupido valeant potentia, ita provocat:

Thessali Phoebus pecoris magister
egit armentum positoque plectro
impari tauros calamo vocavit

(v. 296 sqq. L.), tali modo primi eidem illi Alexandrini (cf. Callim. H. II 49 sqq. Schol. Eurip. Alc. 2³. Plut. Num. c. 4; Erot. c. 17 p. 761^e.⁴ Philostr. Ep. 57. A. P. IX 241. Nonn. Dion. X 323 sq.)⁵, auctores pictorum⁶ exornaverunt⁷. Apponendus est Hercules apud Omphalen servitutis patiens, quem cum Apolline ἀνδρὶ παρὰ θνητῷ serviente antiquitus coniunctum (cf. Meineke Anal. Alex. p. 180) neque Seneca praetermisit (v. 317 sqq.) et Ovidius (Her. 9, 53—118) ex Alexandrinorum arte (cf. Helbig l. c. p. 377. Rothstein ad Prop. III 11, 17. Lillge: De elegiis in Maecenatem quaestiones. Vratisl. 1901 p. 24 sqq. Buerger: De Ov. carm. am. p. 110. P. Ovidii Nasonis De arte amat. libr. tres ed. P. Brandt. Lips. 1902 p. 84. 226) late descripsit. Quae duo exempla Alexandrini, ut Ovidius fecit (a. a. II 217 sqq. 239 sq.⁸), amandi praeceptis inseruisse videntur, qui-

¹ Cf. R. Buerger: De Ovidi carminum amatoriorum inventione et arte p. 113.

² Cf. Tib. I 2, 40. Mus. Rh. 1902 p. 606.

³ Cf. Susemihl: Gesch. d. griech. Litt. i. d. Alexandrinerzeit I p. 401.

⁴ Cf. Callimachea ed. O. Schneider II p. 786.

⁵ Per errorem pro Apolline Bacchum subiecisse videtur Pseudo-theocritus 20, 33 (χω καλὸς Διόνυσος ἐν ἄγκει πόρτιν ἐλαύνει). Cf. Theocr. I 109. Verg. Ecl. 10, 18. Tib. II 3, 11. Buerger: Herm. 1903 p. 19.

⁶ W. Helbig: Untersuchungen über die campanische Wandmalerei p. 260.

⁷ Kalkmann: De Eurip. Hipp. p. 123.

⁸ Tibulli locum (II 3, 28) recordatus. — Cf. Tib. II 3, 11. Ov. Her. 5, 151. — Sententiae vulgari Ovidium Met. II 680 sqq. de Apollinis in Admetum amore cogitasse qui scrupuli obstant alias ostendam. — Liberius ad Tibullum Lygdamus III 4, 67 sqq., cuius carminis auctores indagaturo ea, quae E. Rohde: Der griech. Rom. ed. II p. 163 (= ed. I p. 153 adn. 1), Mallet: Quaest. Prop. p. 12, Buerger: Herm. 1903 p. 23 monuerunt, usui sint, et Valerius Flaccus I 447 sqq. (cf. Tib. v. 17 sq. Ov. Her. 5, 49, 9, 79. Met. III 375. e. P. IV 1, 9, 11) se applicuerunt.

bus eorum elegias, exemplaria quarti carminis Tibulliani et artis amatoriae Ovidianae, abundavisse R. Buerger demonstravit¹. Nimirum studiosissime Hercules Omphalae lanas rudes excolens et Apollo ille ad Admetum sibi conciliandum pastoralia negotia expediens hoc Priapi mandatum exsequuntur, quod Tibullus ipse humilia ruri ministeria toleraturus respexit:

nec te paeniteat duros subiisse labores
aut opera insuetas atteruisse manus

(Tib. I 4, 47 sq. Cf. Ov. a. a. II 209 sqq.). Contuere hunc Apollinem vaccas stabulis expellentem, lac cogentem, fiscellam texentem, vitulos ut erubescat soror occurrens per agros portantem, carmina sub alta valle bubus mugientibus canentem, oracula non curantem, hirsutis crinibus cum aliis tum matri miserabilem: haud abnues Tibullum longius evagatum et multum, ut Callimachus eiusque prosapia solebant, in re depingenda atque etiam bucolicos quales illis placuere modos resonantem hac pulchra fabella perpolita — idyllium appellaveris² — artificem ingenio Alexandrinorum dignissimum se praestitisse. Excitat hic Apollo pastor memoriam Apollinis venatoris ab Ovidio, cui Nicander, Euphorion, Bion facem praetulerunt (cf. Knaack: Anal. Alex.-Rom. p. 60. G. Schultze: Euphorionea p. 32. Susemihl l. c. I p. 234), in metamorphoseon libro decimo (v. 167 sqq.³) repraesentati. Translaticia sententiola eroticorum quos vocamus scriptorum (φάρμακον γὰρ ἕτερον Ἔρωτος οὐδὲν ἔστι πλὴν αὐτὸς ὁ ἔρως Charit. VI 3, 7; cf. Heliod. IV 7) his Tibulli verbis:

nec potuit curas sanare salubribus herbis:
quidquid erat medicae vicerat artis amor

(v. 13 sq.), quibus respondent Propertii (II 1, 57 sq.) et Ovidii (Her. 5, 147—154; cf. Met. I 521 sqq.) versus, subest⁴.

Expectaveris quidem, ut Tibullus, 'pauper amator', cui dives aemulus Nemesim a lucro certe non alienam eripuerit, hac digressionem finita tandem ad se suamque curam animum intendat. Sed doctus poeta, quasi res ad ipsum nihil attineat, quippe cuius

¹ Contra Fridericum Leo Ovidio ullam artem amatoriam notam fuisse negantem (Quaest. Plaut. p. 131; cf. Buerger: De Ov. carm. am. p. 47) nuperrime repugnavit Tolkiehn: N. Jahrb. f. das class. Alterthum 1903 p. 326 adn. 1.

² Cf. Tib. v. 15. Verg. Ecl. 2, 72. 10, 71. Quod genus Propertius neglexit; cf. Otto: De fabulis Prop. pars I. Vratisl. 1880 p. 12 sq.

³ Cf. Tib. I 4, 49 sq. Ov. a. a. II 185—196. Buerger l. c. p. 106.

⁴ Cf. Kalkmann l. c. p. 18. Mallet l. c. p. 27. Buerger l. c. p. 126.

ardor commenticius, non verus sit¹, alterum quemlibet fingit, qui propter egestatem a puella spernatur. Hunc pauperem commilitonem τόπον, quo amor cum militia, amans cum bellatore comparatur (cf. Buerger l. c. p. 112. Brandt l. c. p. 85)², haud gravate amplexus amandi magisterio suscepto adhortatur, ut Cupidinis castris suam domum praeferat ibique illud imprimis discat ferreum saeculum non amore, sed avaritia et luxuria, discordiae bellorumque irritamentis, gaudere (v. 33³—48). Per similes sunt querelae auctoris Anacreontei 27 C (B.⁴) de studio argenti, quo cum reliquae necessitudines tum amantium vincula deleantur:

Γένος οὐδὲν εἰς Ἔρωτα
σοφίῃ, τρόπος πατέϊται
μόνον ἄργυρον βλέπουσιν.
ἀπόλοιτο πρῶτος αὐτὸς
ὁ τὸν ἄργυρον φιλήσας.
διὰ τοῦτον οὐκ ἀδελφός,
διὰ τοῦτον οὐ τοκήεις
πόλεμοι, φόνοι δι' αὐτόν.
τὸ δὲ χεῖρον, ὀλλύμεσθα
διὰ τοῦτον οἱ φιλοῦντες.

Neque vero opus est testimoniis comprobare, quam longe locus de ferrea aetate ab Hesiodo primo attactus (O. et D. 174 sqq.) neque ab Alexandrinis omissus (cf. Theocr. 16, 14 sq. 59 sqq. Catull. 64, 397 sqq.) in litteris Latinis apud cuiusvis generis scriptores ac maxime quidem apud poetas Augusteos pateat, qui alter ad alterum se astrinxerunt: cf. ex. gr. Verg. Georg. II 459. Tib. v. 37. — Hor. Ca. III 1, 33 sq. Tib. v. 45 sq.⁴.

¹ Cf. Belling: Albius Tibullus p. 270.

² Scite rem variavit Aristaenetus I 15.

³ Fac illum commilitonem ab Amore imperatore (nam 'habet sua castra Cupido' Ov. Am. I 9, 1) ita fere appellari: Quid tibi vis, tiruncule? Apage te ex his castris, ubi pauper in honore non est, neve prius huc redieris, quam in Tibulli ducis et magistri domo — haec castra tibi sunt — huius militiae rudimenta deposueris. — Pro signo lacunae post v. 34 duplici puncto posito supple: scito. Cf. Karsten: Mnemos. XVI 1888 p. 46 sq. Belling l. c. p. 276 sq.

⁴ Eo disticho, quo haec elegiae pars absolvitur (47 sq.), eidemne, quem versu 33 affatus est, an Cornuto an Nemesei (cf. Dissenii ed. vol. II p. 249) an sibi ipsi (cf. Plaut. Stich. 692—95) frugi victum Tibullus commendaverit, inter lectiones 'tibi' et 'mihi' (v. 47) dubiis ad discer-

Porro querimonias de feminarum avaritia et luxu, quem Tibullus etiam Nemesi saeculi morbo laboranti concedendum esse statuit (v. 49—58) — haec enim venia ut puellae detur ars amatoria ab amatore postulat¹ — et comici et elegiaci sescenties (cf. Hoelzer l. c. p. 70 sqq.) decantaverunt².

Jam vero opulentum poetae inopis rivalem, hominem infimo plerumque loco³ militando praedandoque divitem factum, quam personam ex comoediis Atticis arcessitam elegiographi Alexandrini elegiacis Latinis dederunt (cf. Hoelzer l. c. p. 64 sqq. 74 sq. 82), magnas apud hos partes sibi vindicare novit quicumque de his carminibus aliquid degustavit. Ita Propertio cum praetore res est in Illyria magna praeda potito (II 16), Ovidio cum equite sanguine pasto (Am. III 8), Dirarum, opusculi Pseudo-vergiliani, poetae quisquis fuit cum milite veterano, cui civili discordia locupletato ille non solum fundo, verum etiam Lydia puella fundo cariore cedere coactus impia vota indicit:

nec fecunda, suis olim felicia rura,
semina parturiant segetes, non pascua colles,
non arbusta novas fruges, non pampinus uvae

(v. 10 sqq.)⁴. Haud discrepans Tibullus aemulo amoris sui, qui, cum ex servo copiosus possessor agrorum de praeda bellica, ut videtur, coemptorum (cf. v. 35 sqq.) evasisset, Nemesim raptam ruri abdiderat, quoniam hominem gypsato pede (v. 59 sq. Cf. Ov. Am. I 8, 64. Prop. IV 5, 51) aequae atque apud Athenaeum Anacreon (XII c. 46 p. 533^f = fr. 21 B.⁴) Artemonem servum ἐκ πείνας εἰς τρυφήν provectum illudit, haec dira imprecatur:

at tibi dura seges, Nemesim qui abducis ab urbe⁵,
persolvat nulla semina certa fide.
et tu, Bacche tener, iucundae consitor uvae⁶,
tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.

nendum nobis haud facile est. Belling quidem 'tibi' legendum esse pro certo sumit (Krit. Prol. zu Tib. p. 41).

¹ Cf. Ov. a. a. II 297 sq. Brandt l. c. p. 91. 227 sq. Tib. II 3, 53 sq. 57 sq.

² Cum v. 55 sq. confer Theodectis tragici fr. 17 (p. 806 N.²). Prop. III 13, 15. IV 3, 10. Sen. Thyest. 602. — Ter. Eun. 165 sq. Heaut. 451.

³ 'Dunmodo sit dives, barbarus ipse placet' (Ov. a. a. II 276).

⁴ Ribb. App. Verg. p. 167.

⁵ De hoc loco Ann. phil. 1895 p. 770 sqq. Bellingio refragante (A. T. p. 280 sqq.) disputavi.

⁶ Cf. Verg. Ecl. 10, 36.

haud impune licet formosas tristibus agris
abdere: non tanti sunt tua musta, pater

(v. 61 sqq.). Quo in genere execratorio a Callimacho¹ et Euphorione² exculto quatenus illorum heredes Latini, quo in numero est Dirarum et Lydiae carminum elegis haud dissimilium auctor³, elaboraverint non perquisiturus paucos hos locos notasse satis habeo: Verg. Ecl. 8, 52 sqq. Tib. I 2, 7 sq. 4, 67 sqq. 5, 49 sqq. 9, 53 sqq. II 4, 25 sqq. 6, 17. Prop. II 16, 43 sqq. IV 3, 19 sqq.⁴ 5, 1 sqq. 73 sqq. Ov. Am. I 8, 113 sq. Ibidis v. 107 (Terra tibi fruges, annis tibi deneget undas) sqq.⁵.

Peractis his execrationibus⁶ Tibullus τοῦ ἀρχαίου βίου (cf. Athen. VI c. 94 p. 267^e), qualem veteres comici Attici multimodis per iocum spectantibus exhibuerunt (cf. Th. Bergk: Comm. de reliquiis com. Att. antiquae p. 188 sqq.), ex consuetudine poetarum Latinorum (cf. Broukhus. ad Tib. I 3, 35. Kalkmann l. c. p. 32) frequens laudator (cf. I 3, 35 sqq. 10, 7 sqq. II 1, 37 sqq.) eadem chorda impulsus, quam v. 29 sq. tetigerat, illud exoptat, ut redeat simplicitas aetatis aureae, qua pulchrius amor viguerit et deorum exemplo etiam hominibus liberius et apertius amori indulgere licuerit (v. 67—76). Quibus versibus convenienter auctor Lydiae libelli⁷ (47 sq. 51 sq. 74), qui quamquam a Diris separari solet, tamen aliquo modo cohaeret⁸, et Propertius (III 13, 25 sqq.) et Ovidius (Am. III 8, 35 sqq. a.a. II 473 sqq.) Tibullo praeter ceteros comparabiles ferreo saeculo priscam aetatem opponunt. Praeterea hi loci inter se conferendi Tibulli descriptionem illu-

¹ Cf. Susemihl l. c. p. 351.

² Cf. Susemihl l. c. p. 397.

³ Cf. Carmina Valerii Catonis cum A. F. Naekii ann. Cura L. Schopeni. Bonnae 1847 p. 14. G. Eskuche: De Valerio Catone deque Diris et Lydia carminibus p. 65 sqq. — Commentationem, quam scripsit R. Sciava (le imprecazioni e la Lidia poemetti d'ignoto autore Latino. Pesaro 1898), non inspexi. Cf. Helm: Jahresber. über die Fortschritte d. class. Alterthumswiss. 1902 II p. 73. Woch. f. class. Phil. 1898 p. 1351.

⁴ Cf. Kirchner: De Prop. libro quinto capita sex p. 48.

⁵ Multa in inimicum execratus Ovidius pergit: Evenient dedit ipse mihi modo signa futuri Phoebus (127 sq.). Item Tibullus in lenae caput dira detestatus: evenient: dat signa deus (I 5, 57).

⁶ Versus 63—66 interpretatus est Karsten l. c. p. 50.

⁷ Ribb. App. Verg. p. 173.

⁸ Cf. Ribbeck: Gesch. d. röm. Dicht.¹ I p. 309 sqq.

strant: Tib. 69 sq. Hesiod. O. et D. 232 sq. Plat. Crit. p. 115^a. Politic. p. 272^a. Lucian. Ἐρωτες c. 33 p. 434. Lucr.¹ V 939. 945. 1416. Verg. Georg. I 148. Hor. Sat. I 3, 100. Ov. a.a. II 622. Met. I 106. Iuv. 14, 184. Broukhus. l. c. p. 240. — Tib. 71 sq. Lucr. V 962. Prop. III 13, 33 sq. Ov. a.a. II 623². — Tib. 73 sq. Lucr. IV 1177 sqq. Ov. Am. III 8, 23 sq. — Tib. 76. Lucian. Ἐρωτες c. 34 p. 434. Lucr. V 954. 1418. 1423. Prop. III 13, 35. Admodum autem credibile est hunc locum de priscae aetatis felicitate, cuius in memoria philosophi populares saepe numero versati sunt (cf. Rohde l. c. ed. II p. 216 = ed. I p. 201 adn. 2), ab elegiarum scriptoribus Alexandrinis ex illis aliquam partem suspensis (cf. Buerger l. c. p. 118 sqq. 125) pertractatum esse (cf. Theocr. 12, 15 sq. Arat. 96 sqq. Catull. 64, 22. 384 sqq. E. Graf: Leipziger Studien z. class. Phil. VIII 1885 p. 52 sqq.) atque inde in elegias Latinas manavisse³.

Iam progressus ad exitum, a cuius versibus 77 et 78 perfecti sumus, poeta initii carminis ratione habita repetit, quod est pauperis amatoris (cf. Tib. I 5, 61 sqq. Philostr. Ep. 7) prae divite aemulo dominae se probantis (πρόσταξον, ὡς βούλει, καὶ πείθουμαι· πλεῖν κέλευσον, ἐμβαίνω, πληγὰς ὑπομεῖναι, καρτερῶ, βῆσαι τὴν ψυχὴν, οὐκ ὀκνῶ, δραμεῖν διὰ πυρός, οὐ κάομαι. τίς ταῦτα πλούσιος ποιεῖ; Philostr. Ep. 23), velle se apud Nemesim servire et servilia pati: cf. Aristaen. II 2 (δοῦλόν

¹ Ed. Lachm.⁴ 1871.

² Cf. Otto: De fab. Prop. part. II. Gross-Glogau 1886 p. 14.

³ Lucretius thesaurus ipsorum philosophorum adiit. At eo loco, quo res Venereas copiosius exposuit (IV 1030—1287), et alibi vestigia Alexandrinae musae (cf. Ribbeck l. c. p. 279, 37. 285), quae eadem Ovidio Artem pangenti vel maxime aspiravit, videntur manifesta esse: Cf. Lucr. IV 1057. Ov. a.a. II 477 sqq. — Lucr. IV 1086. Mallet l. c. p. 27. — Lucr. IV 1105 sqq. 1192 sqq. Mallet l. c. p. 36 adn. 3. Philol. 1901 p. 583. 585. Mus. Rh. 1902 p. 73. — Lucr. IV 1153 sqq. J. N. Anderson: On the sources of Ovids Heroides. Berol. 1896 p. 4 sq. — Lucr. IV 1177 sqq. Mallet l. c. p. 44. — Lucr. IV 1283 sq. Ov. a.a. I 471 sqq. Braudt l. c. p. 215. Buerger l. c. p. 67 sq. — Lucr. V 965. Buerger l. c. p. 115 sq. Res a nobis tantummodo perstricta digna est, in quam homo et in philosophorum scriptis, quae quidem ad amorem pertinent (cf. Mus. Rh. 1902 p. 55 sq.), et in poesi amatoria multum volutatus subtilius inquirat. Subdifficilis sane quaestio est, quia Ovidius sine dubio haud paucos flores et flosculos ex Lucretii hortis decerpit; cf. Zingerle: Ovidius und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen Römischen Dichtern. 2. p. 12 sqq.

με θέλεις ἔχειν; ὡς ἐθελόδουλον ἔχε). Tib. I 6, 37 sq. Philol. 1901 p. 590.

Confirmat igitur haec si qua alia elegia Tibullum ab aequalium illis temporibus poetarum consuetudine, qua Graecorum exemplum secuti locis, qui circumferebantur, carmina sua induerent¹, haud descivisse. Pervulgata argumenta elegiacorum Alexandrinorum², quae hi pluribus, opinor, seorsum elegiis persecuti sunt, unum ille in carmen redegit vel potius, quod salvo singulari eius in poesin merito dixerim, contaminavit. Unde factum est, ut viris doctis nexus rerum hic illie laxior esse videretur et nonnulli hanc elegiam, quam unam et solidam esse poeta certe voluit, in duo vel etiam tria carmina dividenda esse cōnicerent; quos denuo refutare operae pretium non est.

Et haec quidem de hoc carmine, inter cuius lectores praeter Ovidium (cf. Tib. 16. Ov. Fast. IV 770. — Tib. 31. Ov. Am. I 9, 43. — Tib. 38. Ov. Fast. VI 599. — Tib. 40. Ov. a.a. I 558 II 514. — Tib. 76. Med. fac. 18. Fast. III 214) nominamus Statium (cf. Tib. 1. Stat. Silv. V 2, 1. — Tib. 48. Silv. IV 9, 43).

II.

Apud Plautum (As. 746 sqq.) parasitus sygraphum inter Diabolum adolescentem et Philaenium meretricem, huius amicam, et lenam conscriptum perlegit, quo continentur permultae ac severissimae leges amatoriae illi puellae summa cum fide et diligentia observandae. Consimilem legum formulam a Cynthia sua furiosa aemulatione instincta accipit Propertius (IV 8, 74 sqq.), postquam illa ex itinere subito reversa poetam inter Phyllidem et Teiam scorta Lygdamo servo pocula ministrante in convivio accubantem deprehendit. Idem (III 20, 15 sqq.) puellae nescio cui adamatae lepidissime, tamquam si de iuribus ponendis et tabellis signandis agatur, legem in amore novo prima nocte scribendam sibi esse dicit. Quod foedus, ait, ab ipso Amore signo constrictum uter ruperit novoque lecto fidem violaverit, illi sint omnes in amore dolores nec me perfidiae convictum domina pergat amare. Audimus Tibullum Deliae ut casta maneat praedicientem sibi ipsi durissimas castitatis leges imponentem (I 6, 67 sqq.³). Quem locum de legibus amatoriiis a comicis Graecis

¹ Cf. Kroll: N. Jahrb. f. d. class. Alterthum 1903 p. 29.

² Cf. Marx apud Pauly-Wissowa: Realencycl. I p. 1321, 56 sqq.

³ Cf. Mus. Rh. 1902 p. 599 sqq.

elegiographos Alexandrinos, ab Alexandrinis elegiacos Latinos recepisse confido; cf. Leo l. c. p. 139 adn. 2.

Adiumenta attulimus (vide sis praeterea Ov. Met. VII 710. 852) ad exordium carminis Tibulliani IV 13 iniuria a Tibullo abiudicati animo ut par est percipiendum. Admonet enim poeta amicam de foedere illa nocte iuncto, qua primum torum eius conscendit, quodque tum iuraverat a nulla unquam femina de illius thalamo abductum se iri iterum vovet (1 sq.). Vides rem, quam Propertius (III 20, 15 sqq.) fusius explanavit, Tibullum in perangustum duorum versuum ambitum coartasse. At hic illo (II 7, 19: *tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus*) verbosior est eis qui sequuntur versibus (3—6) inter locos communes (cf. Ov. a.a. I 42: *elige, cui dicas 'tu mihi sola places'*) numerandis¹, ubi rivalium metum aperte significans amicam, qua sola ipse delectetur, aliis displicere cupit: *sic ego tutus ero* (6). Nolo, pergit (7 sq.), invidiam admirantem (cf. Propert. II 17, 11. 26 b 1 sq.) quaerere, quae eos sectatur, qui si quid boni habent cuiusvis oculis iactantes proponant, nec mihi non instaret, si vellem de puella mea loquaciter praedicare: *qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu* (8). Redolent haec doctrinam elegiacorum Alexandrinorum, quos imitati scriptores elegiarum Latini magistrorum instar praecepta amandi dederunt, ut Propertius (II 25, 29 sqq.):

tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
in tacito cohibe gaudia clausa sinu:
namque in amore suo semper sua maxima cuique
nescio quo pacto verba nocere solent

et Ovidius a.a. I 741 sq.:

ei mihi! non tutumst, quod ames, laudare sodali!
cum tibi laudanti credidit, ipse subit.

Potuit uterque Candaulis, Lydiae regis, mentionem facere, qui uxorem, ut ait Iustinus is qui Pompei Trogi historiam excerptit (I 7, 15), *quam propter formae pulchritudinem deperibat, praedicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret, prorsus quasi silentium damnium pulchritudinis esset*. Quodsi consideraveris Alexandrinos, quos diximus, non solum a comicis Atticis, Plauti ducibus, verum etiam ab eis philosophis, qui de amore disputaverunt, inter quos Stoici, Senecae philosophi auc-

¹ Cf. Magnus: Jahresber. 1887 II p. 360.

tores, fuerunt¹, haud pauca mutuatos esse atque illos philosophos ipsos de comoediis multa deprompsisse², liquebit, unde similitudo orta sit, quae est locis illis Tibulli (8) et Propertii (II 25, 29 sqq.), Alexandrinorum imitatorum, cum versu Plautino: *Quod bonist, id tacitus taceas tute tecum et gaudeas* (Epid. 651)³ et verbis Annaeanis: *invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaveris, si scieris in sinu gaudere* (Ep. mor. 105, 3)⁴. Cf. Cic. Tusc. III 21, 51. Et Candaulis uxoris exemplo, quod obiter commemoravimus, apud eos qui de amore disseruerunt philosophos locum fuisse praeter Clearchi Solensis testimonium ab Athenaeo XIII c. 31 p. 573^a allatum ea docent, quae Mus. Rh. 1902 p. 68 sq. publicavimus.

Sed ad Albium redeamus. Anaphora adhibita, quod schema eum in deliciis habere constat: *Sic ego* (cf. v. 6), inquit (9 sq.), invidia scilicet et gloria, quod amem puellam pulchritudine tam conspicuam, carens tecum possum bene vivere in silvis solitudinibusque, quae, dummodo tu mecum sis, frequentissimae mihi sunt. Quae verba cave cum epistula Horatiana ad Albium data (I 4) componas:

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,
an tacitum silvas inter reptare salubres,
curantem quidquid dignum sapiente bonoquest?

Etenim haec de philosophantis, non de amantium solitudine dicta sunt. Neve horum versuum suavissimorum, qui poetam in arte perfectum ostentare videntur:

tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
lumen, et in solis tu mihi turba locis

(11 sq.) Propertium fuisse auctorem credideris:

tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
omnia tu nostrae tempora laetitiae

(I 11, 23 sq.). Revocamus haec legentem ad Menandri epistulam

¹ Cf. A. W. Winckelmann: Plutarch. Erot. Turici 1836 p. 96 sqq.

² Cf. Buerger l. c. p. 123.

³ Variavit Publilius Syrus 499: *Voluptas tacita metus est magis quam gaudium*; cf. Mart. I 34, 4.

⁴ Quae scribentem Senecam loci Tibulliani meminisse nihil arbitrari prohibet: cf. Ann. phil. 1896 p. 492 adn. 14. In proverbii consuetudinem venisse illud *in sinu gaudere* monuit Otto: Die Sprichwörter u. sprichw. Redensarten d. Roemer p. 324; cf. Ov. Trist. IV 5, 17.

ab Alciphronē (II 3, 8) fictam, qua comicus a Ptolemaeo rege per litteras Alexandriam venire iussus eo Glycera sua derelicta iturum se esse negat: ἀλλ' οὐδὲ εἰ ἐν Αἰγίνῃ ταύτῃ γε τῇ πλησίον ἔκειτο Αἴγυπτος, οὐδ' οὕτως ἐν νῷ ἂν ἔσχον ἀφείς τὴν ἐμὴν βασιλείαν τῆς φιλίας μόνος ἐν τοσοῦτῳ ὄχλῳ Αἰγυπτίων χωρὶς Γλυκέρας ἐρημίαν πολυάνθρωπον ὄραν. Menander igitur in turba sine Glycera solitudinem, Tibullus in solitudine cum amica turbam cernere i. e. loquelae dulcedine sermocinandi-que cum puella voluptate utique sese frui profitetur. Atque Alciphronem quidem vestigia ipsius Menandri pressisse, ad quem iam initio epistolae se applicuit (cf. § 1. Menandr. fr. 569 K.), ut suspicatu proclive est, ita Tibullum haec ab Alexandrino quodam elegiarum scriptore Menandrum secuto sumpsisse vel ideo existimo, quia reliquae partes eius quod tractamus distichi Tibulliani eodem videntur spectare; cuius distichi si non verbis at sententiae satis simile est epigramma Pauli Silentiarii (A. P. V 241), Alexandrinorum aemuli lectoris, discidium amicae non ferentis:

σὴν γὰρ ἐγὼ δασπλήτα διάστασιν οἶά τε πικρὴν
 νύκτα καταπήσσω τὴν Ἀχεροντιάδα·
 ἤματι γὰρ σέο φέγγος ὁμοίιον· ἀλλὰ τὸ μὲν που
 ἄφθογγον· σὺ δέ μοι καὶ τὸ λάλημα φέρεις,
 κείνο τὸ Σειρήνων γλυκυρώτερον, ᾧ ἔπι πᾶσαι
 εἰσὶν ἐμῆς ψυχῆς ἐλπίδες ἐκκρεμέες.

Accedit Meleagri Gadareni, qui idem poesis Alexandrinorum quasi alumnus fuit, epigramma A. P. XII 60 in puerum carissimum Xenophonte praeeunte (Symp. 4, 12) compositum, quod poematum cum hisce verbis Tibullianis: *tu nocte vel atra lumen* primus Broukhusius contulit:

Ἦν ἐνίδω Θήρωνα, τὰ πάνθ' ὄρω· ἦν δὲ τὰ πάντα
 βλέψω, τόνδε δὲ μή, τοῦμπαλιν οὐδὲν ὄρω.

Putaveris Tibullum et Propertium, cuius versus paulo ante exscriptos (I 11, 23 sq.) locis communibus assignandos esse Ter. Phorm. 496. Eurip. Hec. 280 sq.¹ Alcest. 645 sqq. Val. Flacc. III 323 sq. eorumque principis Homeri II. VI 429 sq. testimonio sunt², illud Graecorum σὺ γὰρ ἐμοὶ εἰ πάντα coloribus utrumque

¹ Cf. Heliod. VII 14 ed. Kor. I p. 281, 22 sqq.

² Anaphorae ab utroque usurpatae (tu . . . tu . . .) en simile exemplum:

tu mihi magna voluptas,
 tu me reficisque fovesque

quam bellissimis et vividissimis expingere voluisse; velut Menander in eadem illa epistula de se gloriatur: ἐγὼ γὰρ αὐτῇ (sc. Glycerae) εἰμι πάντα (§ 14)¹.

Paululum iuvat in hoc loco Tibulliano (11 sq.) manere, siquidem placere potuit poetae summo. An casui tribuendum est, quod oratiuncula, qua in tragoedia Shakspeariana dux de Suffolk in exsilium iturus Henrici regis uxorem, amorem suum, valere iubet:

'T is not the land I care for, wert thou thence;
A wilderness is populous enough,
So Suffolk had thy heavenly company:
For where thou art, there is the world itself,
With every several pleasure in the world,
And where thou art not, desolation

(King Henry VI. — Part II. III 2), cum Tibulli verbis mirum quantum congruit? Adde blanditias, quibus Helena in eiusdem poetae comoedia Demetrium suum ab ipso spreto prosequitur:

It is not night, when I do see your face,
Therefore I think I am not in the night;
Nor doth this wood lack worlds of company,
For you, in my respect, are all the world:
Then how can it be said I am alone,
When all the world is here to look on me?

(Midsummernightsdream II 2). Goethio vero dicenti:

Sind zwei Liebende doch sich ein versammeltes Volk
(Roem. El. 12, 8) num fuerit Tibullus signifer, cum Bronnero (Ann. phil. 1893 II p. 111) dubito²; cf. Heller: Ann. phil. 1863 II p. 417 sq.

tu facis, ut silvas, ut amem loca sola, meoque
spiritus iste tuus semper captatur ab ore

(Ov. Met. VII 817 sqq.). Cephalis sunt verba auram appellantis a temerario indice, qui nympham vocari censuerat; Proceridi, uxori illius, relata.

¹ Locis a Berglero (ed. Alciph. p. 236 sq.) congestis, qui documento sunt εἶναι πάντα dictionem cotidianam et vulgarem esse, Pyladis apud Euripidem (Or. 732 sq.) verba τί πρόσσεις φίλαθ' ἡλικῶν ἐμοὶ καὶ φίλων καὶ συγγενείας; πάντα γὰρ τὰδ' εἰ σύ μοι adiungas velim.

² Klopstock amici nuptias elegia celebrans (F. G. Klopstocks Oden herausg. von Muncker u. Pavel I p. 35) Tibullum semel atque iterum nominavit (v. 3. 10); at eorum de quo sermo est versuum Tibullianorum vix memor fuit, cum haec cecinit:

O wie glücklich seid ihr! Mich deucht, als sah ich euch kommen,
Wie ihr im freudigen Tanz vor der Versammlung erscheint.

Sed ad propositum nos referamus. Alter Cephalus (hunc enim ne dea quidem a caritate uxoris avertere potuit; cf. Ov. Met. VII 700 sqq. 802 sq. Tib. 13 sq.) Tibullus per puellae suae Iunonem, quae omnium deorum ei maxime venerabilis sit, omni asseveratione iurat, etiamsi repente quasi de caelo delapsa (ut est in proverbio; cf. Otto l. c. p. 62) amica sibi compareat, tamen illam solam curae cordique sibi fore (13—16¹). Sed subito eum iuris iurandi paenitet: eheu, quam stulte egi! Nempe timore tuo, ne quando te desererem, sublato quasi pignus fidei tuae ex manibus dimisi. Pereat garrula lingua, quae illud mihi peperit, quod tu posthac asperior eris et audacius me cruciabis. Haud secus apud Callimachum Cydippam quod animum suum amanti ostendisset conquestam linguam accusavisse licet ex his verbis Ovidii sectatoris, cui Callimachus auctor fuit, colligere:

Ei mihi, quod gaudes, et te iuvat ipsa voluntas!

Ei mihi, quod sensus sum tibi fassa meos!

Ei mihi! lingua labat!

(Her. 20, 203 sqq. Cydippe Acontio)². Ceterum urendi voce usus (v. 19) — uruntur enim servi a domino (cf. Tib. I 9, 21. II 4, 5) — sollerter Tibullus ad amabile carmen absolvendum viam sibi fecit: ergo in servitute perdurabo (cf. Prop. I 4, 4); verum tamen si crudelius in me saevies, servorum more ad aram confugiens Venerem adibo, quae te iniustam puniet mihi que supplicii favebit.

Poematio vicesimo, quod cum eo de quo disseruimus carmine coniunctum cohaereat, poeta, quamquam gravem de crebris puellae suae peccatis rumorem ad se pervenisse fatetur, tamen neque quaerit neque accusat; immo vero non tam peccare quam

Sie flieht jugendlich leicht, mit schlüpfendem Fusse, vorüber,
Und sieht, glücklicher Freund, in der Versammlung
nur dich.

Cui pentametro apposite comparantur hexametri Herderi: Ruhige Nacht, o du stille, du in der lautsten Versammlung Einsame . . . (Orphische Hymnen. 2. An die Nacht. ed. Suphan vol. 26 p. 180) et Goethii: Immer allein sind Liebende sich in der lautsten Versammlung (Der neue Pausias 123).

¹ Viderint critici, mihine lectionis *tibi* (v. 16) patrono (cf. Ann. phil. 1895 p. 127) an qui *mih*i legi vult Bellingio (A. T. p. 58) praestet assentiri.

² *quid facio demens* (Tib. v. 17)? Similem ἐπανόρθωσιν habent Vergilius Ecl. 2, 58 *heu, heu quid volui misero mihi!* et Lygdamus III 6, 27 *quid precor a demens?*

istis criminibus eam rodi aegre ferens excusare (cf. Prop. II 32 23 sq. 29 sq.) et pati velle hos lusus amicae videtur, modo ipse de iis celetur. Nempe τυφλοῦται περὶ τὸ φιλοῦμενον ὁ φίλων (Plat. De leg. V p. 731^e. cf. Menandr. fr. 48 K. Prop. II 14, 18) neque omnia debet amator prudens videre (Prop. II 18, 1 sqq.), sed permulta ignoscere, *quia vulgo Formosis levitas semper amica fuit* (Prop. II 16, 25 sq.). Adde Propertii versus:

De te quodcumque ad surdas mihi dicitur aures:
tu modo ne dubita de gravitate mea

(II 20, 13 sq.) et Ovidii:

Non ego, ne pecces, cum sis formosa, recuso,
sed ne sit misero scire necesse mihi

(Am. III 14, 1 sq.), habes summam eorum, quae Tibullus hoc epigrammate expressit leporis et urbanitatis tam pleno, ut si quis et hic Graecorum asseclam agnoverit, vix erret.

Ratiboriae.

Fridericus Wilhelm.